

neque posthac (laici) præsumant, atque usurpent, et putent se causas cognoscere clericorum; et innocentes homines variis afflictationibus, nimis, violentia, terroribus frangere, atque vexare.»

7. Jamvero civilium, et ecclesiasticarum pœnarum non idem plane finis, neque eadem prorsus ratio est. Ecclesia, quam charitas exercet, duo tantum habet proposita: primum, ut peccator redeat ad bonam frugem; alterum, ut ceteri exemplo pœnæ à crimine deterreantur (1). Civilis potestas in irrogandis pœnis læsi quoque dignitatem tuetur, et publicam ullionem persequitur. Ecclesiasticarum pœnarum summus est gradus eos, qui gravissime peccarunt, è republica expellere; civilis potestas progreditur etiam ad pœnas, per quas sanguis effunditur, aut sontes morte multantur.

(1) Præclare Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. n. 7 opp. t. 2 col. 655 ed. Ven. cit., «Multi, inquit, per illas correcti sunt, et quotidie corriguntur; et se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos, gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur, et in residuos, cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus, ne illi pareant, excitantur.» Deinde multis ostendit, utile prorsus esse homines pœnarum metu ad veritatem ducere, ac quasi compellere: «multis enim, ait, profuit prius timore, vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari.» Denique habet hæc: «Antequam dicant boni filii: *concupiscentiam habemus dissolvi, et esse cum Christo*; multi prius, tamquam mali servi, et quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum suum, temporalium flagellorum verberibus, revocantur.» Ad hæc postrema Augustini verba diligenter advertant velim, qui Ecclesiam temporales infligendi pœnas potestatem habere inficiantur.

8. Et quoniam Ecclesiæ potestas duplex est, altera, tota spiritualis, à Christo separatim data, quæ tum in interiori, tum in exteriori foro exercetur, altera, quam ipsa habet communem cum omni perfecta, ac distincta republica, et quæ temporalis dicitur; sequitur, ut duplex etiam sit genus pœnarum, quæ ab ipsa irrogantur. Aliæ scilicet spirituales sunt, quæ animum affligunt, et aliæ temporales, quæ corpus castigant. Spirituales pœnas infligendi jus est in omnes, qui per baptismum inter Ecclesiæ filios cooptati sunt, quique in religionem peccant; temporales quoque pœnas in omnes constituit Ecclesia, sed in laicos, et clericos ratione dispari.

9. Laici, qui tamquam Christiani, Ecclesiæ, tamquam civilis reipublicæ cives, hujus imperio parere debent, Ecclesiæ coercionem subsunt in iis criminibus, quorum iudicium ad Ec-

clesiam pertinet; in ceteris à civilibus magistratibus iudicandi sunt. In hos quoque utitur Ecclesia pœnis temporalibus, ut eam habeat, quam habere opus est, rationem criminum, et reus respiciat, neque omnes indiscriminatim subjiciantur pœnis spiritualibus, quæ gravissimæ sunt. Clericorum crimina omnia coercet Ecclesia, sive ecclesiastica, sive civilia sint. Hæc quidem propter rem ipsam non subessent Ecclesiæ potestati; sed ei tamen subjecta fiunt propter jus in personas, quarum crimina coercenda sunt à republica, in qua versantur, et cui subjiciuntur.

10. At clerici civilis quoque reipublicæ cives habendi sunt, neque eos Ecclesia ita in rempublicam suam cooptavit, ut ipsi impune contemnerent, ac perverterent jura civitatis. Ergo Ecclesia curat, ut hæc jura sarta tecla serventur, pœnasque repetit à clerico, qui ea violare ausus est. In quibus sane pœnis suam quoque, cum est opus, partem, et potestatem civili reipublicæ relinquit. Scilicet quamdiu ipsa habet pœnas delictis pares, eandem ipsa imponit eo jure, quod omnis respublica habet in cives suos, et clericum criminisum plectit exilio (1), verberibus (2), multa pecuniaria (3), carceribus (4), ceterisque pœnis, quibus hoc agitur, ut peccator emendetur, ac ceteri exemplo pœnæ sese à crimine absteineant (5).

(1) «Hi, qui adversa eis moliantur, inquit Concilium Romanum sub Symmacho P. an. 505 apud Labbæum t. 5. Concil. col. 504, sicut à SS. PP. statutum est (quibus ex verbis constat, vetustam tunc fuisse eam disciplinam) et hodie Synodali, et Apostolica auctoritate firmatur, penitus abjiciantur, et exilio, suis omnibus sublatis, perpetuo tradantur.» Ante hanc Romanam Synodum, eandem exilii pœnam ab Ecclesiastico Magistratu irrogatam, memorat Eusebius, Dorilæi Episcopus, in Concilio Constantinopolitano Sancti Flaviani, Act. 7 col. 1010 t. 4 ejusd. collect.; et ejus quoque mentio est in Concilio Aureliensi IV. can. 29 t. 5 Concil. col. 1569, et Toletano XII. can. 10 t. 7 col. 1445; itemque apud S. Gregorium M. Ep. 71 lib. 11 ad Arthemium Subdiacon. opp. t. 2 col. 1172 ed. Maur. Paris. 1706, et in can. 25 dist. 65, in can. 9 cap. 3 qu. 4, et in can. 3 cap. 3 qu. 5.

(2) «Tantorum scelerum, inquit S. Augustinus Ep. 153 n. 2 ad Marcellin. Tribun. opp. t. 2 col. 596 ed. Maurin. Ven. 1729, confessionem... virgarum verberibus eruiti; qui modus coercionis, et à magistris liberalium artium, et ab ipsis parentibus, et sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.» De S. Cæsario Arelatensi narrat Cyprianus, ejus discipulus, in ejus vita apud Surium ad diem 27 Aug. t. 4 p. 927 ed. Colonia Agrippinæ 1585, eum diligenter observasse, «ut nemo ex illis, qui ipsi parebant, si pro sua culpa flagellandi essent, amplius triginta novem ictibus ferirentur; ita tamen, ut si quis in gravi culpa esset deprehensus, permetteret, ut post dies paucos vapularet iterum.» Idem pœnæ genus memorant etiam S. Gregorius M. l. 4 Ep. 27 ad Januar. et l. 9 Ep. 65 ad eumd. op. t. 2 col. 707 et 982 ed. cit. et l. 11 Ep. 71 ad Anthem. Subdiacon. colun. 1177, Cassianus l. 4 Inst. c. 16

p. 58 ed. Francof. 1622, Palladius hist. Lausiac. c. 6 p. 908 in Bibl. PP. Græco-Lat. t. 2 ed. Ducae Paris. 1624, Concilium Agathense can. 38 et 41 apud Labbæum t. 5 Concil. col. 527 et 528, Narbon nse sub Reccardo can. 13 t. 6 col. 728, Epaonense can. 15 t. 5 col. 715, Matisconense I. can. 8 t. 6 colun. 660.

(5) Multas pecuniarias ab Ecclesia constitutas fuisse, ostendit Concilium Carthaginense V. an. 599 vel 400, can. 2 apud Labbæum t. 2 Concil. col. 1454 et S. Gregorius M. Ep. 26 l. 4 ad Januar. t. 2 col. 704 ed. cit. Eadem quoque multa Paganos Calamenses plectendos censebat Augustinus Ep. 104 opp. t. 2 col. 379 ed. Maurin. Ven. 1759.

(4) De Ecclesiæ decanicis, sive carceribus egi l. 5 tit. 1 §. 21 not. 1 p. 16. Carceris autem loco sæpe clericus in monasterium detrudabatur. « Si Episcopus, inquit Concilium Agathense (aliis autem Epaonense) can. 50, apud Labbæum t. 5 Concil. col. 526, Presbyter, vel Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus, in monasterium retrudatur, et ibi, quamdiu vixerit, laicam communionem accipiat. Confer etiam Concilium Matisconense I. c. 5 apud Labbæum t. 6 col. 659. Hispalense can. 3 eod. loc. t. 6 col. 1514, et Epaonense can. 22 t. 5 col. 714. S. Gregorius M. Ep. 41. 10 ad Sabin. Subdiacon. t. 2 colun. 1044, reum *in districtam custodiam* redigi jubet; et ideo, *inquit*, quia tanti facinoris iniquitas districta, atque subtili investigatione quaerenda, atque plectenda est, hæc tibi auctoritate præcipimus, ut vigilantissimo studio, et diligenti omnino cura perquiras; et si quæ indicia apprehendere hujus rei potueris, eum in custodiam districtam, quousque nobis renunties, redigas, ut qualiter immanissimum facinus discuti debeat, ac puniri, deliberare possimus. »

(5) Quid sibi velit Ecclesia in corporalibus infligendis pœnis, egregie præter ceteros, explicat S. Gregorius M. Ep. 27 l. 4 ad Januar. t. 2 col. 707: « Paulus vero clericum, *inquit*, qui sæpe dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo, ad laicam reversus vitam, in Africam fugerat, si ita est, corporali prius proveniente vindicta, prævidimus in penitentiam dari, quatenus, et secundum Apostolicam sententiam, ex carnis afflictione spiritus salvus fiat. » Quo loco Gregorius memorat et *corporalem vindictam, et penitentiam*, quam utramque distinguit, et utramque adversus criminiosum illum clericum constituit jubet. Ad corporales pœnas referenda sunt etiam publicæ penitentiae, jam ab initio Ecclesiæ institutæ, uti constat ex Tertuliano Apol. c. 59 et l. de Pudicit. c. 5, et l. de Pœnit. c. 9 p. 51 558 127 ed. Paris. 1675 et S. Irenæo contr. hæres. l. 1 c. 13 n. 5 et 6 p. 65 et 65 t. 1 opp. ed. Ven. 1734, late que ostendunt Massuetus in Irenæo. diss. 5 art. 7 n. 74 et 75 p. 126 seq. t. 2 opp. Irenæi, et Albaspinæus Observat. l. 2 Observ. 22 p. 415 ed. Neap. 1770; quamquam serius constitutæ videantur solennes illæ Stationes, de quibus disserui l. 2 tit. 2 sect. 4 §. 73 p. 93 seq. Nam penitentes cilicio operiebantur, sibi crines tondabant, jejuniis corpus cruciant, flexis genibus stabant, sese à balneis, conviviis, matrimonii usu abstinebant, aliisque subiciebantur pœnis, quas nemo infliciebatur, fuisse pœnas, quæ corpus castigabant. Hæc quidem omnes eo spectabant, ut criminiosus emendaretur, atque ad bonam frugem rediret; sed hic idem omnium ecclesiasticarum pœnarum finis est. Atque in his quidem pœnis, ut inquit Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. c. 6 opp. t. 2 col. 652 ed. Ven. 1750 *cur non eogeret Ecclesia perditos filios, ut redirent, si perditii filii coegerunt alios ut perirent?* Porro si Ecclesia semper constituit pœnas, quæ corpus castigarent, manifestum est, ei jus esse corporales pœnas infligendi. Si eas ipsa

constituit, tum in interiori, tum in exteriori foro, dubitari non potest, quin ejus potestas exteriori quoque foro attingat. Denique si eadem Ecclesia his pœnis animadvertit etiam ethnicis dominantibus, eum scilicet à laico Principe nulla hujusmodi facultas concedi potuit, facile intelligitur, eam suo jure hanc potestatem, non cujusquam beneficio, ac privilegio obtinuisse. Certe quod à Petro gestum est adversus Ananiam, et Saphiram, à Paulo adversus Elimam magum, et adversus blasphemum, est quidem contra ordinem factum, sed tamen ostendit Ecclesiæ potestatem corporales quoque pœnas infligendi. Apposite Auctor incertus, sed antiquus sub nomine Augustini in l. Contr. Fulgent. Donatist. c. 25 t. 9 col. 11 in Append. opp. Si Aug. ed. Ven. 1753, « Non enim, *inquit*, malos persequi peccatum est; nam et sanctos, et sanctum sanctorum, Dominum, malos legimus persecutos. Dæmones namque, persecutionem Domini non ferentes, clamabant: quis nobis, et tibi fili Dei, venisti perdere nos? Et Paulus Elimam magum ultus est cæcitate, et blasphemum hominem tradidit Satanæ, et Petrus Ananiam, et Saphiram ejus uxorem mendaces occidit, et Simonem magum tandem persecutus est, donec morte perimeret. Sed et David in persona Christi elamat, et dicit: *persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar, donec deficiant. Affligam illos, nec poterunt stare.* »

11. Sed cum criminis magnitudo pœnas postulat asperiores, quæ modum superant ecclesiasticæ coercitionis, Ecclesia non illud suscipit rei patrocinium, quod in civilis reipublicæ detrimentum redundaret. Quare clericum flagitiosum de gradu dimovet, atque ab se eiecit, et subdit civili potestati, quæ de eo pœnas sumit, quas aptas, et idoneas judicat. Verum non pro quovis crimine clericus de gradu dimovendus, atque ex ecclesiastica republica expellendus est. Non enim omnia crimina paria sunt, et iniquum atque absurdum esset parem levioribus, et parem item immanioribus criminibus pœnam constituere. Si ejectione clerici à republica ecclesiastica pœna est gravissima omnium, quas Ecclesia adhibet, ac tantum atrocioribus criminibus reservata; non eadem certe pœna plectendus est clericus, qui levius deliquit. Quare is quidem afficiendus est pœna; sed cum crimen tam grave non sit, ut pœna perducenda videatur ad summum gradum, qui ei jus eripit civis reipublicæ ecclesiasticæ, puniendus est à republica, ad quam pertinet, et cujus imperio subicitur.

12. Atque hæc semper fuit ecclesiasticæ, et civilis reipublicæ concordia; utraque suam semper habuit in coercendis criminibus potestatem, neque unquam altera alteram perturbavit, aut fecit, quod crimen aliquod inultum, impunitumque dimitteretur. Civilis respublica habet res, ac personas suas; et suas item res, ac personas habet respublica ecclesiastica, quæ sine illis vera, ac perfecta respublica haberi non posset. Laici omnes

pertinent ad civilem rempublicam, clerici ad ecclesiasticam, quoniam hi sunt cives, ex quibus hæ duæ respublicæ efficiuntur. Civilis reipublicæ propria sunt omnia civilia negotia; quidquid res sacras, aut divinas respicit, tantum ecclesiæ subest potestati.

13. Verum negotia, quæ sua indole, et natura propria essent civilis reipublicæ, sæpe sunt subjecta reipublicæ ecclesiasticæ, quoniam ei subsunt personæ, quarum ea negotia sunt. Nemo enim alicujus negotium expedire cum imperio, et jurisdictione potest, nisi in personam habeat potestatem. Ita crimina, quæ propter naturam suam à civili republica noscenda, puniendaque essent, Ecclesiæ animadversioni subjiciuntur, quia patrata sunt à clericis, qui Ecclesiæ potestati, imperioque subsunt. At quod facit Ecclesia, ut propter jus in personas animadvertat etiam in crimina, quorum sua non esset coercitio, id civilis reipublica efficere non potest, ut propter jus in personas laicorum judicet etiam de criminibus, quæ ab iis in sacra, divinaque admissa sunt. Nam harum rerum cognitio, et animadversio est supra jura meræ reipublicæ; earumque judicium, et potestas à Christo, tam in Clericos, quam in laicos, uni Ecclesiæ data est.

(N. S. Imperatores duplex criminum genus distinctum voluere; scilicet leviora, et graviora. Leviora Episcoporum cognitioni fuisse à legibus reservata, tum 1 ex Ambrosio deducunt, qui Epist. 32. Quin etiam, inquit, si alias quoque argueretur Episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere; hoc ad leves dumtaxat causas trahunt Gotthofredus in Leg. 22 Cod. Theodos. de Episc. et Cler.; et Petrus de Marea Dissert. in Caput Clericus ad calcem Antonii Augustini

Idem 2 ipsimet Auctores inferunt ex Lege Valentiniani, et Gratiani in C. Theod. lib. 16 tit. 2, 23, quæ in hunc modum habet: «Si qua sunt ex quibusdam dissentionibus, levibusque delictis ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis, et à suæ Dioceseos Synodis audiantur.»

Quod vero in eadem Lege statim addatur: «Exceptis, quæ actio ab ordinariis, extraordinariisque iudicibus, aut illustribus potestatibus audienda constituit:» inde deducunt, Clericos in gravioribus quibusdam criminibus à Judicium sæcularium potestate non prorsus fuisse immunes: tum ex aliis quoque Legibus in eodem Codice exstantibus eruunt, jure Imperiali tunc temporis atrociora quædam, licet à Clericis perpetrata crimina, publicis Magistratibus puniendi fuisse adsignata. Ac 1 saltem de criminibus gravioribus intelligendam contendunt Arcadii, et Honorii legem, 1 tit. 11 c. lib. 16, ubi post verba: «Quoties de Religione agitur, Episcopus convenit judicare:» statim subnectitur: «ceteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri.»

2. Leg. 20 Cod. Theod. ibid. vetantur Clerici, et Continentes, viduarum, et pupillarum domus, ut inde opes, vel hæreditates aucupentur, adire, adjecta pœna: «Publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos adfines earum, vel propinqui putaverint deferendos.»

3. Valentinianus Sen. Novella Tit. 12 ibid. post adsertam Clericis in negotiis Ecclesiasticis immunitatem, subjicit: «In reliquis negotiis criminalibus, juxta legum ordinem, per se judicium subire cogantur.»

4. Idem Imp., Novella V de Sepulc. Violat., «Quisquis, inquit, ex hoc numero Clericorum sepulchrorum violator exstiterit, illico Clerici nomen amittat, et sic stylo præscriptionis addictus, perpetua deportatione plectatur.»

5. Quum in conflictibus, qui in electione Damasi Papæ exarserunt, plurimi interissent, multos, tam Clericos, quam laicos, à Maximino, tunc Præfecto Urbis, supplicio adfectos fuisse, testatur Socrates lib. 4 cap. 9.

At qui hic volunt in hujusmodi atrociorum criminum causis Clericos non fuisse ab civili potestate omnino exemptos, fateantur tamen oportet, ipsis, ac præcipue Episcopis, datum fuisse, suas defensiones per Procuratores, non per seipos proferre: Valentinianus Novella tit. 12: «Si in hujusmodi ordinis homines Episcopos actionem pervasionis, et atrocium injurarum dirigi necesse fuerit, per Procuratorem sollemniter ordinatum apud Judicem publicum, inter leges, et jura configant... Quod iis religionis, et Sacerdotii veneratione permittimus. Nam notum est procuratorem, in criminalibus negotiis non posse concedi: sed ut sit ulla discretio meritorum Episcopis, et Presbyteris tantum id oportet impendi.»

Porro sub Justiniano Imperatore magis se explicuit Clericorum à Judicis sæcularibus immunitas. Hic enim Imperator 1 Novella 79 cap. 1, omnes prorsus Monachorum, Sanctimonialium, Virginum Deo sacratarum, ac mulierum in Monasteriis consistentium causas Episcopis reservatas voluit.

Tum 2 Novella 85, edixit quidem, ut Clericorum crimina, siquidem civilia, à Præsidibus Provinciarum cognoscerentur; at judicio extraordinario, scilicet «non transcendente lite duorum mensium spatium... si reum esse putaverit eum, qui convenitur, provinciæ Præses, et pœna judicaverit dignum: prius hunc spoliari à Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate, et ita sub legum fieri manu: unde potius in favorem Ecclesiæ, quam in præjudicium immunitatis Ecclesiasticæ, Constitutionem illam emanasse, tradit Gonzalezius ad cap. 8 de Judiciis, num. 9.

3. Denum Novella 125, cap. 8, et 21, Episcopos, ceterosque Clericos, etiam in causis criminalibus, omnino à publicis iudiciis immunes voluisse videtur. Cap. enim 8 sic decernit: «Sed neque pro qualibet pecuniaria causa, vel criminali Episcopum ad judicem civilem, aut militarem invitum producere, aut exhibere, extra imperialem jussionem, permittimus.» Tum Cap. 21 §. 1: «Si vero crimen fuerit, quod adversus quamlibet memoratarum reverendissimarum personarum (scilicet, Clericorum, Monachorum, Diaconissarum, Monastriarum, Ascetiarum) inferatur, si quidem apud Episcopum aliquis accusatur, et ipse veritatem invenire potuerit, ab honore, aut gradu hunc secundum Ecclesiasticas regulas dejiciat, et tunc competens iudex hunc comprehendat, et secundum leges litem examinans, causæ finem imponat.»

Idem quoque juris in Italia obtinuisse, tum ex pluribus evincitur, tum vel maxime ex eo quod sub Theodorico Italiæ Rege, omnes Romanorum leges, atque adeo quæ ad Ecclesiarum, Clericorumque immunitatem spectabant, nulla in parte fuerint antiquatæ: uti fuse ostendit Muratorius *Annalium Ital.* ad an. 515. Quinimmo ex pluribus Theodorici apud Cassiodorum Epistolis liquet, Regem ipsum omnes personales Clericorum causas, non civiles modo, verum et criminales, Episcopis dijudicandas reliquisse.

Clericorum ab iudiciis sæcularibus immunitas, quam Sacris Canonibus, legibusque Imperialibus constituere satagemus, naturali etiam æquitati con-

formis est, unde apud Gentiles, præcipue vero apud Romanos, Pontifici inferiores parebant Sacerdotes: ad rem Conc. Aurehan. IV Can. 3: «Quod lex sæculi etiam paganis Sacerdotibus, et ministris ante præstiterat, justum est, ut erga Christianos specialiter conservetur.» Et sane convenit, ut Clericorum negotia ea tranquillitate, ac sanctitate, qua par est, tractentur; neque Clerici à sacris amoveantur obsequiis, uti loquitur Justinianus iudicata Novella 125.

Hactenus designatas Clericorum à Judiciis sæcularibus exemptionum leges, quæ posthabita sunt Synodi, et à Principibus evulgatæ sanctiones, cum confirmarunt, tum etiam auxerunt.

Igitur Personæ Ecclesiasticæ in causis civilibus, criminalibus, et mixtis ab laici Tribunalis potestate exemptæ sunt. Porro hactenus constituta Clericorum exemptio quasdam patitur limitationes.

Et quidem, crimina quod spectat: 1 Clericus etiam in sacris constitutus, ubi habitum exuat clericalè, et tanquam è laicorum cœtu incedens, ter ab Episcopo monitus, ab honam frugem non redeat, atque adeo incorrigibilis ex Episcopi sententia declaretur, Civili Potestati debitas luet pœnas: *Cap. 25 et 45 de Sentent. Excomm. et leg. 57 tit. 6. Partit. I.*

2. Clericus Assassinus, sive mandans fuerit, sive mandatarius, ejusque fautores, quamvis mors sequuta non fuerit, aut assassinum receptans, defendens, vel occultans, ubi satis jam de crimine constiterit, non modo in Judiciis laici potestatem rediguntur, verum et, ut legitimas subeant pœnas, nulla, vel depositionis, vel degradationis, sententia, aut sollemnitate opus erit: *Concil. Lugd. Cap. 1 de Homicid.*

3. Clericus, qui occultas conspirationes contra Regem, vel Reipublicæ statum conflans, turbas excitat, dignitate, loco, et honore privatus, Regiæ potestatis judicio subjacet: *Syn. Tolet. X can. 2; et legg. 2 tit. 1 lib. 3, 7 tit. 8 lib. 1 Novis Compilat.*

4. Clericus maledictis Regis famam lædere non perhorrescens, à Judice Ecclesiastico detentus, ad sæcularem judicem remittendus est: *iisd. Novis Compilat. legg.*

5. Clerici aurum, vel argentum de Hispaniarum Regni limitibus extrahentes, iisdem quibus laici pœnis subjiciuntur: *leg. 1 tit. 13 lib. 9 Novis Compilat.* Et falsam eudentes monetam, degradati, Curix sæculari tradendi sunt: *Urbanus VIII Idib. Novemb. an. 1627.*

6. Joculatorum, aut Gestulatorum artem Clerici per annum exereentes, ipso jure, si breviori tempore tertio moniti, ab ejusmodi exercitiis non se diverterint, omni privilegio Ecclesiastico privantur: *Cap. unic. de Vita, et honest. Cleric. in 6.*

7. Litteras, aut sigillum Summi Pontificis, vel Regis Clericus infringens, degradandus, et Tribunali laico tradendus est: *leg. 6 tit. 6 Partit. I.*

8. Clericus injuriis impetens suum Episcopum, aut si in ipsum conspiraverit, degradandus, et Curix sæcularis potestati subjiciendus est: *can. 18 cans. 41 quæst. 1, et leg. 6 tit. 6 Partit. I.*

9. Clericus ob execrabile facinus depositus, si incorrigibilis permaneat, laico tribunali puniendus mittitur: *can. 20 ejusd. caus. et quæst., et Partit. leg. nuper citata*

10. Propter nefandum scelus degradandus est clericus, et judici sæculari tradendus: *Pius V an. 1568; leg. 1 tit. 30 lib. 12 Novis Compilat.*

11. Apostata habitu ecclesiastico deposito, comprehendi à judice sæculari, et ab ipso puniri potest: *cap. 1 de Apost.*

12. Clericus, etsi conditiones à Trid. Syn. præscriptas adimpleat, si eccles.

beneficium non obtinet, et clericus etiam in minoribus, qui nec beneficium habet, nec constitutus ab ead. Syn. condiciones observat, propter iteratum homicidium judicii laico subjicitur: *Clemens XII bulla in Hispaniam missa 14 Nov. 1757. §. 3.*

13. Postremo clericos in ludis Regni legibus vetitis à sæculari judice deprehensus, quantum ad pecuniariam pœnam ipsi subjicitur; posteaque competens testimonium ad suum Episcopum transmitti debet, ut pœnas canonicas luat, ex Caroli III pragm. an. 1771, §. 14, leg. 15 tit. 25 lib. 12 *Novis Compilat.*)

Gotthorum tempore, clerici coram Episcopo proprias lites exercebant. An vero et per sæculares judices possent vocari, ut ipsorum causæ in Regiis tribunalibus disputerentur, licet primo intuitu extra dubitationis aleam positum videatur, ex leg. 17 tit. 1 lib. 2 *Fori Judicum*; nihilominus, ad hujus legis conspectum, asserit Villodas, *Eccles. Antiq. pag. 128*, de personali disserens clericorum immunitate, ipsam ad atrociora et gravissima quæque clericorum delicta dumtaxat esse referendam, hac interpretatione illata ex can. 5 concil. Tolet. XI (an. 675). Verum quidquid de hoc sit, certum est in cap. 5 Cojacensis concil. an. 1050, cui aderant Ferdinandus I et Sanctia, fuisse statutum, ut omnes ecclesiæ et clerici sint sub jure sui Episcopi; nec potestatem aliquam habeant super ecclesias aut clericos laici. Rursus in Jaccensi Syn. an. 1065, cap. 4, præsentibus Ranimiro Rege cum suis filiis, et Regni Proceribus, ita fuit decretum: «Statuimus etiam, ut causæ clericorum, pro quibus hucusque Ecclesia nostris in partibus gravata non modicum extiterat, deinceps Episcopo soli, et Archidiaconibus ejus discutiendæ relinquuntur; ut indebita circa eos sæcularium cupiditas, nostro cæteriata judicio, in talibus prorsus recessetur, et secundum normam justitiæ suum cuique jus conservetur.

In art. 90 §. 2 *Reg. provis.*, inter facultates supremi Hisp. et Ind. tribunalis recensetur, ut nempe possit de causis ob communia delicta contra Episcopos et Metropolitans efformandis cognoscere, et judicare, non secus ac de illis, quæ contra omnes supremam vel superiorem ecclesiasticam jurisdictionem Matrili exercentes, inchoari debeant, dummodo facta, de quibus forsitan agatur, per Regiam jurisdictionem judicanda sint. Rursus, *Reg. decreto 17 Octobris 1855*, ordinariis Regiis tribunalibus cognitio defertur graviorum sive atrocium communium criminum, quæ clerici patnaverint, qualibet exemptione sive privilegio cessante. Demum, quod attinet ad majores causas, contra Episcopos, vid. cap. 6, 7 et 8 *Ses. 13 Ref.*, et cap. 5 *Ses. 24 Ref. concilii Trident.* (Ex *Selvag. Barcinon. Adnotat.*, tom. 3, pag. 28, 29, 40.)

Consul. Cl. Auct. lib. 1 tit. 8 sect. 4, *De Depositione et degradatione*: ac *Cardin. J. Soglia Institut. Jur. Publ. Eccles.*, §§. 7, 8 et 55, — *Matrit. Edit. 1852*, pagg. 144—48, ac 260—66.

Novis Compilat. lib. 12 tit. 40 leg. 20, Carolus IV Rex ita præscripsit: «que en lo sucesivo no se destinen Ecclesiasticos à presidio, sino por delitos de la mayor gravedad y consecuencia: y que en este caso, sea con espresa Real licencia, con asignacion de renta ecclesiastica para su manutencion, y por tiempo determinado.» Notanda quoque ejusd. *Reg. ordinat. 19 Nov. 1789*, disponens, causas clericorum de gravibus ac atrocibus delictis, coram Reg. et ecclesiastico simul tribunali et inchoandas et prosequendas fore, donec pronuntianda sententia esset; quod ante quam fieret, ad Majest. Sux gubernium, *por la via reservada, para lo que hubiere lugar* (ut vulgo dicitur) remitterentur: cui communiter consequens erat, ut ex Reg. mandato facultas judi-

cibus impertiretur, qua sententiam dicerent, et ad effectum *servatis servandis* perducerent. Hanc tamen dispositionem non amplius in vigore manere, sanxit nuper citata Reg. ordinat. 17 Oct. 1855.*

TITULUS II.

DE DELICTIS, ET EORUM DIVISIONE.

1. QUID DELICTUM, QUID PECCATUM?—2. PECCATUM UNIUS ECCLESIE POTESTATI SUBJECTUM.—3. DELICTA ECCLESIASTICA.—4. CIVILIA.—5. MIXTA.—6. CUI MIXTORUM CRIMINUM JUDICIUM COMPETAT?

1.

CRIMINALIUM judiciorum materia in delictis est posita. Est autem delictum, seu crimen (1): libera, et voluntaria actio, vel omissio, contraria legibus, pœnaque coercenda. In omni delicto inest etiam peccatum, quod est quævis improba divini, aut humani juris violatio; quoniam Deus homines parere jussit non tantum legibus ab se, aut ab Ecclesia latis, sed etiam legibus, quas civilis potestas constitueret, quæque divinis, aut ecclesiasticis mandatis non adversarentur. Contra, non omnia peccata sunt item crimina, quia non omnia redundant in detrimentum societatis; ideoque divinæ ultioni reservantur, neque humanis legibus coercentur (2).

(1) Romani Jurisconsulti *privata* delicta à *publicis* criminibus distinguebant; horum accusationes cuius è populo à lege committebantur; illa autem non nisi privatis partium querelis in judicium deferbantur. Sed jam ab omnibus utrumque vocabulum promiscue usurpatur. Alia, quibus item delicta appellantur, nomina describit Renazzius Inst. criminis l. 1 c. 1 § 4.

(2) S. Augustinus in can. 1 dist. 81 peccatum à crimine ita distinguit, exponens illud Apostoli, oportet Episcopum ordinandum sine crimine esse: « Non ait enim Apostolus, inquit, si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, et cetera hujusmodi. Crimen est peccatum grave, accusatione, et damnatione dignissimum. » Et S. Thomas lect. 2 comm. in Ep. ad Titum, « Aliud, inquit, est crimen, et aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque, sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum, et infame. »

2. Quidquid in crimine peccatum est, cujusvis illud naturæ sit, unius Ecclesiæ potestati subjicitur, quoniam ei tantum Christus retinendi, ac remittendi peccata facultatem attribuit. Quare et crimina, quorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam,

subsunt Ecclesiæ judicio propter peccatum; et hoc quidem judicium exercet Ecclesia in foro pœnitentiæ, in quo pœnæ sacerdotis arbitrio imponuntur. Quin etiam publica peccata publicis quoque afficiuntur ab Ecclesia pœnis, ut ita publicæ offensioni satisfiat (1). Multa tamen scelera sunt, in quibus Ecclesia tam de crimine, quam de peccato judicat, et in quæ tum exterioris, tum interioris fori potestatem exercet.

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. c. 28.

3. Nam crimina vel mere ecclesiastica, vel civilia, vel mixta dicuntur. Ecclesiastica sunt, quæ directe contra fidem, et religionem, resque omnes divinas, et sacras admittuntur. Hujusmodi sunt apostasia, hæresis, schisma, simonia, profanatio sacramentorum, fractio sigilli sacramentalis, omissio paschalis communionis, aliaque præterea, si quæ sunt generis ejusdem. Omnia hæc crimina subsunt Ecclesiæ coercitioni, sive à clericis, sive à laicis patrata fuerint.

4. Civilia sunt, quæ directe lædunt civilem rempublicam, neque aliquid habent spirituale, præter criminis in foro interno absolutionem, et pœnitentiæ: qualia sunt homicidium, furtum, rapina, falsum, calumnia, cetera similia. Horum facinorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, eaque tantum cum à clericis admissa sunt, propter jus, quod Ecclesia habet in personas, ad ecclesiasticum forum deferuntur. Nos de his criminibus non agemus, quoniam eorum tractatio propria est eorum, qui jus civilis reipublicæ persequuntur.

5. Mixta demum crimina sunt, quæ simul et religionem lædunt, et civili reipublicæ damnum, atque injuriam inferunt. Huc spectant sacrilegium, perjurium, *blasfemia* non hæreticalis, sortilegium, delicta venerea, crimen usurarum, similia. Obnoxia sunt hæc crimina tum Ecclesiæ, tum civilis reipublicæ coercitioni, quoniam jura utriusque violant, et utraque in his criminibus partem suam curare, et tueri debet. Quare Ecclesia pœnas sumit de iis, quæ ad religionem, civilis respublica de iis, quæ ad læsam hominum societatem pertinent. Ita sane hæc crimina mixta dicenda sunt, quia subsunt utriusque animadversioni; non quod sine discrimine ad alterutrum forum deferri possint, ab eoque noscantur, cui primum res omnis commissa fuit. Nam si tantum alterutra potestas in hæc crimina inquireret, jus alienum invaderet, eaque cognosceret, quæ suæ potestati, et imperio subjecta non sunt.